ARANEAE EXOTICAE,

quas collegit, pro Museo Lugdunensi,

Dr. H. TEN KATE Jr.

IN GUYANÂ HOLLANDICÂ (SURINAME),

et quas determinavit

Dr. A. W. M. VAN HASSELT.

(CUM FIGURIS).

Anno 1885/86 vir amicus ten Kate, jam honorifice cognitus suis explorationibus extraneis ethnologicis ac geographicis, novam talem suscepit, nunc Indiae occidentalis partem spectantem, quâ, in locis inter flumina Marowyne et Corentyn [1]), populum, terram naturamque recognovit.

Hunc ad scopum, munificentiâ sui comitis in itinere praecedenti ad Lapponiam, Principis Roland Bonaparte, tunc ejus collaboratoris illustris, nunc vero ut scientiarum fautoris, honorifice suffultus fuit.

Hac occasione etiam quosdam acquisivit thesauros zoologicos, Museo historiae naturalis Lugdunensi dono datos.

Inter hosce, ejus collectio Aranearum exigua, sed ut patebit non parvi momenti, conservatore peritissimo Ritsema meae curae, ad determinandam, mandata est.

Ecce hujus mei qualiscumque novi Catalogi fons ac origo.

---

1) Circiter ad 5um gradum latitudinis borealis. — Passim quoque Venezuelam inspexit.

THERAPHOSOÏDAE [1]).

1. **Avicularia vestiaria** d.G. (Auss.) = *Mygale avicularia* Latr. ♀ et ♂.

Pulchra et optime conservata exemplaria.

Tibiâ maris subtus et antice processu crasso spinoso, regulariter dense aculeato, armatâ. Hocce in nostro specimine plus minusve curvato.

Ambo non «vulpini», sed magis nigri coloris.

2. **Idiops Bonapartei** n. sp. ♀ [2]).

Longitudo	totalis	14	mm.
»	cephalothoracis (sine mandibulis)	5	»
Latitudo	cephalothoracis	4,5	»
Longitudo	mandibularum	2	»
»	abdominis	7	»

Cephalothorax, — exceptis clypeo humili et margine tenui albicantibus, — obscure fuscus, praesertim in parte thoracicâ, versus et ad marginem posticam, disperse fuligineus, glaber et nitidus; ovato-rotundatus, paulo longior quam latior; capite sat elevato, in medio fornicato seu potius gibboso et subsulcato, ibique duabus setis longis nigris, antrorsum directis, notabili; foveâ centrali transversâ sed leviter procurvâ, nec valde profundâ, nec latâ; sulcis cephalicis parum et irregulariter impressis.

---

1) Familiarum ordinem assumsi secundum cel. Thorellii indicia recentissima, in ejus observationibus „On Dr. Bertkau's Classification of the order Araneae" (*Annals and Magazine of Natural History*, April 1886, p. 325).

2) Confer pro genere *Idiops*, — excepto opere Perty, *Del. anim. art. Brasiliae* (1833), quod consulere in originali non potui, sed solummodo cognovi ex Walckenaerii, *Aptères*, I, p. 379, sub *Sphasus idiops*; — Guérin de Méneville, „Arachnides du voyage de la Favorite", in *Magasin de Zoologie*, 1me année (1838); — Ausserer, *Beiträge zur Kenntniss der Arachn. Fam. d. Territelariae*, I, S. 148, etc. et II, S. 144, etc. (1871—1875); — Cambridge, „Monograph o. t. genus Idiops", in *Proceedings o. t. Zool. Soc. o. London*, p. 101, et „Supplementary Notice, etc., ibidem, p. 152 (1870); — Simon, „Étude sur l. Arachn. d. Congo", in *Bulletin d. l. Soc. Zool. d. France*, I, p. 223 (1876), et „Arachn. recueillis en Birmanie", in *Extr. des Annali d. Mus. civ. d. Stor. nat. d. Genova*, Vol. XX, p. 33 (1884); — et Karsch, „Araneologisches aus Süd-Amerika", in *Berliner Entom. Zeitschr.*, Bd. XXX, S. 93 (1886).

Oculi octo, 2, 2, 4, anteriores in margine clypei, ceteri in declivitate capitis anticâ.

Duo antici mediocres, subovati, supra basin nigram tantillum erecti, oblique extus divergunt; infra subcontingentes, ad apicem pro diametro sejuncti; illorum axi visus antrorsum et foras directâ.

Duo medii omnibus aperte majores, rotundi et pupillati, sessiles, in maculâ communi nigricante siti, semipellucidi et modice convexi, sursum spectant; intra illos, antice, quoque seta unica longa nigra sese elevat, oblique antrorsum directa; a sese multo minus, ab oculis anticis multo plus quam pro diametro distant.

Quatuor postici, desuper visi, in lineâ transversâ rectâ (nec pro- nec recurva) [1]), ex albo succinei. Illorum mediani, omnibus haud dubio minores, rotundi, plani, sursum spectantes; oculis praecedentibus contigui et pone horum partem dimidiam exteriorem locati, a sese pro tribus diametris distant. — Laterales, omnium magis excentrici, magnitudine, cum parte nigrâ basali, huic duorum anticorum paululum superare videntur; sunt oblongo-ovati, in directione antero-posteriori, axi visus oblique extus ac posterius spectante; ad basin tam medianis anticis quam posticis subcontigui, ad apicem plus quam pro suo diametro longo a mediis anticis, minus quam illo a medianis posticis sejuncti sunt.

Sternum, margine antico truncato et flavescente excepto, rotundatum sed paulo longius quam latius, luteum, fere planum, laeve et praesertim antice disperse nigro-pilosum.

Mandibulae convexae, conicae, laete fuscae, fortes, longae, ac sat crassae, conniventes, glabrae, apice nigro-pilosae et, supra unguis insertionem, processu antrorsum flexo instructae, ibique pectine irregulari 7 ad 8 denticulorum nigrorum armatae. Sulcus unguicularis 4 ad 5 dentatus. Ungues profunde fusco-rubrae, semilunares, longae et validae.

Maxillae coxiformes et coxis I paris latiores, flavo-fuscae, ad apicis latus internum apophysi obtuso-conicâ, cum pectine 5 ad 7 denticulorum nigrorum et, in tota superficie inferiore,

---

1) Haecce dispositio quoque provenit in alio sed affini genere *Trittame* L. Koch.

numerosis denticulis, aut spinis, ut et papillis, omnibus rubro-nigris et nitidis, ad formam rastelli, instructae, illis praesertim versus marginem internum, — longe- et dense flavescente-pilosum, — densioribus et majoribus.

Labium parvum, coloris maxillarum, fere quadrangulare, latius quam longius, ad apicem vix angustatum, sed ibi quoque serie transversâ 7 denticulorum armatum.

Palpi ex flavo lutei, supra infuscati, nitidi, pediformes, latitudine huic paris pedum I aequante, longitudine hac paris II aliquantulum minores, parum pilosi et parce aculeati, illorum pars femoralis extus curvata, tibialis cylindrica, infra planior, tarsalis conica, ambabus ad latera, hac quoque apice, — secundum typum, — seriebus irregularibus, tam spinarum validarum ac longarum, antrorsum directarum, quam singulorum dentium breviorum nigri coloris armatis. Pars tarsalis unguiculo unico, unidentato munita est.

Pedes, 4, 1, 3, 2 (3 et 2 fere aequales) [1]), breves et crassi, femore III paris crassissimo, IV paris longissimo, lutei, anteriores autem minus laete quam posteriores; omnium patellis, — solito majoribus, — totis, tibiis, metatarsisque antice infuscatis, ita ut pedes late annulati appareant; quoque nitidi sunt et mediae pilosi ac aculeati, scopulis carentes. Par I et II, illud quam maxime (praeter femora non incurvata) palpis similares, etiam quoad armaturam spinosam. Tibia paris III supra, basi, non sulcata, nec ad latus internum aculeatior, sed in latere externo serie 5 ad 6 denticulorum valde minutorum armata. Unguiculi tarsales trini, praesertim in pare IV, sat longi et fortes et, horum accessorio non abscondito excepto, postice uni (?) dentati.

Abdomen (dorso superius vulnerato) convexo-ovatum, dense sed brevissime nigro-pilosum, quasi barbatum, coloris fundamentalis fuscescentis, sed tali modo subtiliter nigro-striati, striis anas-

1) Secundum regulam in hoc genere par III omnium esset brevius. Idem quoque valeret quoad *Idiops Petitii*. Walckenaer vero recte animadvertit, Guérin pro specie dictâ scripsisse (quod in originali mihi constitit): „enfin les secondes, qui sont les plus courtes". In Cambridgei *I. syriaco* itidem par II ceteris brevius dicitur.

tomes constituentibus, ut, sub lente adspectus subreticulatus [1]) oriatur, in ventre multo minus obvius. Hocce laetius colorato et, intra sua spiraculorum transversorum spatia, utrinque maculâ magnâ, ovatâ, luteâ signato.

Mamillae quatuor, luteae, oblique convergentes; inferiores simplicissimae, tenues et breves; superiores triarticulatae, iis saltem quadruplo latiores et longiores, longitudine hanc tarsi IV paris aequantes, ad basin metatarso hujus duplo crassiores, cylindro-conicae, apice obtuso, parum pilosae.

Epigyne (nondum tote evoluta?) valde difficile distinguenda. Supra rimam s. d. genitalem, corneam et flavam, utrinque perexigua macula rotunda nigricans, pilis longioribus abscondita, adesse videtur (an orificia receptaculorum seminis?).

America meridionalis (Suriname).

Verosimiliter inter Theraphosoïdas fodientes (s. d. « Trapdoor-Spiders ») numeranda [2]).

N.B. Hancce speciem, quam novam existumo, in honorem Fautoris illustris nostri peregrinatoris, — Princeps Roland Bonaparte, — denominavi, eamque ideo accuratius describere necesse duxi. De genere non est dubitandum. Ad typicum *Idiops* Perty (s. *Acanthodon* Guérin) pertinere nemo negabit. Quoad speciem, etsi in multis characteribus speciebus cognotis affinem, haec mihi cum neutra harum ex omni parte congruere visa est. — *Idiops fuscus* Perty, Brasiliae, 13 mm., pedes longiores haberet et par I fere pari IV aequale. — *I. Petitii* Guér., Brasiliae, 36 mm., cephalothorace magis oblongo instructus est, sterno ac labio longioribus quam latioribus, oculis 4 posticis magis a sese remotis, et in genere colore toto alio. — *I. Cambridgei* Ausserer, St. Fe di Bogota, 14 mm., inter alia, oculorum serie posticâ ut et capitis setis

---

1) Adspectum analogum observaverunt Thorell in sua *Idiommata variata* (*Studi* etc., III, p. 246) et L. Koch in sua *Idiommata reticulata* (*Ar. Australiens*, S. 474); pro ultima harum vero aliter et multo fortius depingitur (Taf. XXVI, f. 4 et 5) quam in nostro specimine obvenit.

2) Guérin rectissime de hocce genere scripsit: „D'après son organisation elle doit être fouisseuse" (loc. infra cit.). Suppositio ejus pro *I. Syriaco* observatione propriâ Cambridgei confirmata fuit (Loc. cit. p. 108).

diversis. — *I. Rohdei* Karsch, Paraguay, 16 mm., oculi antici mediis aequant, mandibulae nigricant, abdomen flavescit. — *I. Syriacus* Cambridge, Beyrut, 9 mm., oculi laterales omnium essent maximi, par pedum III pare I longius, color multo laetior. — *I. Meadii* Cambridge, Africa, 25 mm., cephalothorax granulatus, maxillae inermes, par pedum I fere = pari IV. — *I. Thorellii* Cambridge, Africa, 12 mm., capite non elevato, oculis clypei maximis, unguiculis tarsalibus 3-dentatis, colore aurantiaco. — *I. crassus* E. Simon, Birmaniâ, 28 mm., cephalothorax postice valde attenuatus est, oculi antici magis disjuncti et mandibulae fere nigrae sunt. — *I. compactus* Gerstäcker, Zanzibar, cephalothorax antice altus, oculi laterales ceteris majores, labium longius. — *I. neglectus* L. Koch, patria ignota, oculis convexioribus, ceterum *I. Petitii* valde similaris [1]).

Insuper species hae omnes differunt tam earum lineâ oculorum posticâ plus minusve pro- vel recurvâ, quam illarum pedibus totis, aut in singulis fere totis, unicoloribus. Linea haecce in nostro specimine recta est et pedes late annulati sunt. Hanc ob rem quoque «annulipes» dici potuisset. Quum autem cognomen illud Thorellio speciei congenerae *Idiommatae*, ex Novâ Guineâ, datum jam fuerit [2]), de hocce proposito abstinui.

Attendi volo prorsus ad singularem dispositionem trium setarum longorum cephalothoracis, quae, talimodo, inter omnes alias species citatas solummodo cum hac pro *I. Syriaco* Cambridge, — specie tamen multo minore, — convenit.

Ceteroquin fateor, hujus speciei, ut et *Rohdei* Karsch, ac quoque *Cambridgei* Ausserer et *crassi* E. Simon plures alios characteres cum his nostri *Bonapartei* esse communes.

---

1) Huic comparationi non subjeci *I. Blackwallii* Cambridge, Australia, 28 mm. et *I. Kochii* Cambridge, Pebas, 20 mm., quia Aussererio ad alia genera analoga (*Idiommata* et *Strophaeus*) ducti sint, nec *I. Aussereri* E. Simon, Congo, quum magnitudine, sed inprimis suis mamillis 6 nimis a nostrâ specie differret. De hocce auctor ipse monuit: „Cet *Idiops* s'éloigne de tous les *Idiops* connus, par la présence de six filières, ce qui nécessiterait peut-être la formation d'un genre spécial". (loc. infra cit.).

2) Confer *Studi s. Ragni Malesi*, III, p. 248 (1881).

FILISTATOÏDAE.

Diu Familia haec peculiaris Theraphosoïdis, ob illarum oculorum catervam, conjuncta fuit (Walckenaer, C. Koch), aut ad Drassoideas referebatur (Taczanowsky et aliis), aut ad ambas, «Mygalodrasses» sub nomine (E. Simon) [1]). Multum dubitaverunt auctores an Filistatae magis hisce, quam quidem Scytodoïdis (Dugès), vel Dysderoïdis (Pavesi, Auserer) accedant. Posthaec eas, ut cribello instructas, inter suas Oecobiadas et Amaurobiadas locavit Bertkau, qui vero monuit, illas nullis dictarum Familiarum ab omni parte convenire, quum dicit: «Für diese Familie muss eine ganz besondere Platz angewiesen werden» [2]), quâ cum opinione nostro tempore omnes consentiunt scriptores. Thorellii hujus quaestionis judicium recens hisce verbis continetur: «The Filistatoïdae are, among the Cribellatae, completely isolated and have their allies among the Ecribellatae (= Meromamillata Bertkau), approximating in some respects to the Drassoïdae and the Scytodoïdae, and even to the Territelariae» [3])!

3. Filistata (Teratodes C.K.) capitata Hentz (Keyserling) ♀.

Longitudo totalis (absque mandibulis)	.	13	mm.
» cephalothoracis	. . . . .	6	»
» mandibularum	. . . . .	1,5	»
» abdominis	. . . . .	7	»

Quum Hentzii [4]) hujus araneae figura non nisi marem spectet, illiusque descriptio valde incompleta sit, me, pro feminâ nostrâ, ad accuratam Keyserlingii diagnosin [5]) utriusque sexus retuli.

De hujus auctoris effato *F. capitatam* esse synonymam cum

---

1) *Histoire naturelle des Araignées*, p. 95 (1864).

2) *Ueber das Cribellum und Calamistrum*, S. 347 (1882).

3) „On Dr. Bertkau's Classification etc." in *Annals and Magazine of Natural History* (April 1886), p. 323. — Confer quoque: *On European Spiders*, p. 159.

4) *The Spiders of the United States*, p. 24, Pl. 2, fig. 7 (1875).

5) „Neue Spinnen aus Amerika", I, in *Verhandlungen der K.K. Zool. Bot. Gesellsch. Wien*, Bnd. XXIX (1879), S. 345.

Teratode depresso C. Koch (patriae incertae, verosimiliter America meridionalis), minus certe sum. Forte fortuito hujus speciei marem possideo originis diversae [1]), sed ex omni parte Kochii indiciis [2]) respondentem.

Hic, ut tote «ockergelb, ohne Zeichnung», colore saltem, nimis differt a Hentzii *capitatâ*, totâ «dusky brown» dictâ.

E contra, comparatione factâ figurarum Hentzii, Kochii et Keyserlingii cum proprio meo individuo, lubenter concedo, ambas species dictas similari gaudere conformatione maris palpi articuli tarsalis, tali, qualem Koch descripsit «mit korkzieherartig gewundenem Haken».

Feminae nostrae Surinamensis characteres cum Latreillii aliorumque diagnosi generali et cum Keyserlingii descriptione speciali quam plurime conveniunt. Sic oculorum 8 dispositio mygaliformis, 4 anticis, quorum mediis nigris, magis rotundatis, 4 posticis magis ovatis, acervatis; — cephalothoracis frons attenuatus, caput subelevatum, thorace longitudinaliter sat profunde sulcato; — mandibulae breves, debiles, antrorsum directae et partim unitae; — illarum ungues introrsum, non deorsum et postrorsum flexae et minutissimae [3]); — maxillae totidem labium cingentes; — labium triangulare cum sterno coalitum; — palpi longi et crassi, uniunguiculati, maxillarum lateribus infra inserti; — pedes longi, triunguiculati, in relatione 1, 4, 3, 2; — mamillae 6 breves et simplices; — stigmata 2 et rima trachealis transversa imo ventre.

Miror, quod Keyserling de mandibularum concretione nihil dicit, eo magis quum Hentz de sua *capitatâ* habeat: «It is strange, that its cheliceres are not joined together, as in the *F. hibernalis*» (et in aliis speciebus). In nostro specimine quoque revera non totae arcte cohaerent ad basin («comme soudées a leur base», Walckenaer, *Aptères*), (ut in meo mare *T. depressi* C.K. lucide apparet), sed magis definitioni respondent, quam pro *testaceâ* vel

1) Ex Africâ (Liberiâ) accepi curâ viri Modderman.

2) *Die Arachniden*, Bnd. IX (1842), S. 103, Fig. 755.

3) Inde ad Micrognathas suas duxit Dugès, *Observations ur les Araignées*, p. 106.

bicolore dedit Latreille hisce verbis: «qu'elles sont réunies vers le milieu par un connectif, qui les rend peu propres à s'élever» [1]).

Palpi, exemplaris nostri, — Keyserlingio pro suà feminà, «sehr dick» vocati, — hoc epitheton imprimis merentur pro eorum duobus articulis terminalibus, — quorum tarsali acute conico et subnitido, — quam densissime et adpresse nigro-setosis.

Etiam maxillae, labium et sternum, hoc ad marginem, setis nigris, sed magis erectis scatent.

Epigynes figura triangularis, Keyserlingio data, mihi non constitit, ob rimae genitalis valde pilosae situm profundiorem. De hocce organo Bertkau [2]), pro nostro genere, monuit: «Epigyne an der weiblichen Genital-Spalte nicht vorhanden»; itidem Thorell [3]) *Filistatis* «an unchitinised vulva» adscripsit.

Cribellum et calamistrum locis solitis adsunt, ambo vero in miniaturâ. Quoque mamillarum par medium absconditum et valde tenue.

Color tantillum variat. Cephalothorax, femora supra, tarsi pedum anteriorum et praecipue palporum magis fuscescunt, hic illic plus minusve infumatis, partim propter setarum nigrorem. Abdomen («grau» Keyserling, «dusky brown» Hentz) in nostro specimine ex griseo nigrescit, sed secundum Keyserlingii observationem «unten etwas heller als oben». Huic pro feminâ nostrâ addere debeo: scilicet in medio ventris ad formam quadrati, et in lateribus ad formam limbi. Limbus hicce lutescens postrorsum ita prolongatur, ut plaga ano-mamillaris eo cingatur. Praeterea versus ventris apicem lunula conspicitur albescens intra cribellum atque fissuram trachealem.

N. B. *Filistata* haecce, ad araneas rariores pertinens, solummodo Americae propria videtur. Praeter nostram, quam ten Kate in Suriname invenit, Hentz eam citavit ex Georgia aut Florida, et Keyserling, secundum Beckerium, ex Pascagonta, ad Mississippi rivos. Praeterea Bertkau suspicatur, se hanc speciem accepisse ex

1) *Cours d'Entomologie*, p. 512.

2) Loco supra citato, S. 338.

3) Loco supra citato, p. 320.

Peru a Dr. Ahrens [1]), et forsan species dubia, de quâ Latreille mentionem fecit, ex Guadeloupe [2]), huc pertinere potest. (Sin Keyserlingii opinio de synonymiâ *capitatae* cum *Teratode depresso* sese confirmaret, illam etiam Africae [3]) incolam dici posse, meo proprio individuo Liberiano probaretur).

Plures adhuc *Filistatae* species Americanae jam dum descriptae sunt. Sic, quousque sciam, *hibernalis* Hentz (Keyserling) *capitatae*, ut mihi videtur, valde affinis, sed perparum definita, ex South Carolina, North Alabama et ad flumen Mississippi (Becker) citatur (locis supra dictis). Itidem species illa typica et cosmopolita multorum regionum calidarum, *testacea* Latreille [4]), quoque ibi, in Peru, provenire, diu cognitum fuit, imo in Cayenne communem esse Taczanowsky docuit [5]). Totae aliae speciei, etiam Peruvianae, scil. *F. brevipes*, Keyserling denuo auctor est [6]).

Ultima haec vero, — in oppositione cum ceteris jam nominatis majoribus (de 8 ad 14 (aut 20?) mm. [7]), — ad, ita dicendas micro-Filistatas pertinet, ut non plus mensurans quam 3,7 mm.; idem valet pro *F. Australiensi* L. Koch, de 4 ad 5 mm. [8]), sed magis adhuc pro *F. nanâ* E. Simon, de 3,5 mm., illo in Galliâ meridionali detecta [9]) et posthuc Pavesio non solum ex Italiâ sed quoque ex Africâ notata [10]).

PHOLCOÏDAE.

Ex haecce Familiâ etiam ten Kate alteram speciem harum mihi

---

1) Loco supra citato, S. 347.

2) *Cours d'Entomologie*, p. 512 (1831); confer notam Thorellii in *Remarks on Synonyms*, p. 498.

3) Jam Latreille de specie „quâdam" *Filistatae* ex Senegal mentionem fecit.

4) = *bicolor* (Walckenaer, Dufour, Lucas, aliis), = *Teratodes attalicus* (C. Koch), = *puta* (Cambridge)?

5) *Horae Soc. ent. Rossicae*, T. X (1873), p. 72.

6) Opere jam citato, Pars IV, Band XXXI (1881), S. 221.

7) Walckenaer saltem *bicolori* „8 lignes" adscripsit!

8) *Arachniden Australiens*, 9 Lieferung (1873), S. 451.

9) *Revue et Magasin de Zoologie* (1868). Extrait p. 7.

10) In Catalogis del Pavia, Ticino, Varesotto (1873 ad 1879) et in ejus *Faunâ Tunisinâ* (1884).

ad micro-Pholcos ductarum, — confer collectionem van de Poll, in *Tijdschr. v. Entom.*, dl. XXX, blz. 231, — valde singularem, capere contigit, scilicet:

4. **Pholcus cyaneus** Tacz. ♀.

(« Corselet jaune d'ambre, abdomen bleu verdâtre » T.).

Ejus exemplar unicum, eheu! minus bene conservatum et pedibus partim mutilatum, magnitudinis circa 4 mm., pedibus longis tam teneribus instructum est, ut non ausus sim horum veram longitudinem exactâ mensuratione indicare, Taczanowsky, qui hanc speciem prius descripsit [1]), pro mare, longitudinis *Pholci* nostri, hanc pedum anteriorum (his in nostro, cum uno paris quarti, omissis) ad non minus quam 65 mm. determinavit [2])! — Mensura haec, sed pro II et III pare, in nostrâ feminâ, appropinquatione aliquâ, inter 40 et 50 mm. variare videtur.

Illorum annulatio « flava » et color fundamentalis « brunnea » [3]) in specimine nostro, alcohole plus minusve palluerunt, color vero abdominis tote cyaneus sat pulchre remansit.

Abdominis conformatio, pro ♂ analoga huic in *Ph. phalangioïdes* (sec. Tacz.), in feminâ nostrâ magis cordato-ovata est, versum apicem triquetra.

Licet Taczanowsky perhibeat, se habuisse « plusieurs individus des deux sexes » marem solum descripsit ejusque palpum, typo subsimilarem, depinxit, sed nil dixit de feminae genitali. Id in nostro exemplari, — quod doleo, me microscopio submittere, non audere, — sequenti modo sese habere videtur:

Epigyne. Ex tuberculo magno surgit in medio scapus conicus, modice longus, basi crassior, coloris lutei, apice obscurior. Ad

---

1) Confer „ Araneïdes de la Guyane Française " in *Horae Rossicae*, T. X, p. 103.

2) In genere Pholcorum pedes anteriores relatione corporis dicuntur = 6 ad 8 : 1, in hac specie relatio esse = 16 : 1, saltem pro mare.

3) Quamvis femina nostra adulta sit, tamen pro pedibus animadvertit auctor, illos in junioribus interdum esse posse „ de la couleur du corselet, sans anneaux ".

latus tuberculi utrinque magna conspicitur fovea ovata verticalis lutea, annulo nigro cincta (quasi ocelliformis).

Conferri porro possunt quae de tribus raris *Pholcis* ex Indiâ occidentali (2 Curaçaviensis, 1 Surinamensis) scripsi in «Verslag van de 20ste Wintervergadering der Nederlandsche Entomologische Vereeniging» (*Tijdschr. v. Entomologie*, dl. XXX, blz. XCIV).

THERIDIOÏDAE.

5. **Lathrodectus geographicus** n. sp. ♀.

(Pl. 5, fig. 1, 2, 3, 4).

Longitudo	totalis	7	mm.
»	cephalothoracis	2,5	»
»	abdominis	4,5	»
»	ped. par IV (anterioribus deficientibus).	12	»

Cognomen dedi picturae abdominis causâ, hoc fasciis nigris in diversis directionibus limitato seu arpentato, plus minusve mappae similari.

Theridium zickzack Karsch [1]), in initio, — cognomine seductus, — credebam, forsitan nostrae araneae similare esse posse, eo magis quum statim suspicabar, ad *Lathrodectum* referri debere, sed ulterior comparatio tam descriptionis quam magis adhuc ejus figurae, me in errorem versari docuit. Propter cognomen itidem dubitavi, an noster esset *L. cinctus* Blackw.? Hanc speciem solummodo cognovi ex notâ Pavesii [2]). Ibi vero mentionem fecit de hujus fasciis aurantiacis («aranciate»), quum vittae in *geographico* sint nigerrimae.

Cephalothorax. Ovato-rotundatus, clypeo subgloboso seu convexo [3]), fusco-nigro; longior quam latior, antice attenuatus, sat

1) Ueber einige im Zanzibargebiete erbeutete Arachniden, in Giebel's *Zeitschr. f. d. ges. Naturwiss.*, 1878, Band III, S. 311.

2) Confer ejus *Studi s. Aracnidi Africani*, III, p. 37. Doleo, me non ad manum habuisse Blackwallii „Descriptions" ibi citatas, eo magis quum indicationes Pavesii, ut in linguâ Italianâ scriptae, mihi non claruerint.

3) Thorell observavit, clypeum in *Lathrodectis* hanc formam habere, hisce verbis descriptam: „the clypeus forming, beneath the transverse depression just under the eyes, a coarse, projecting, and, when viewed in profile, convex callus" (*Rem. o. Synon.* p. 509, note 1.

planus, postice tantillum altior; capite triquetrim circumscripto, hujus et thoracis radiis lateralibus evidenter impressis; fossa mediana transversa modice profunda. Totus piceus, glaber et subnitidus.

Oculi. In duabus seriebus, vix recurvis, typici, lateralibus vero minus a sese distantibus quam mediani [1]); flavescunt, mediis anticis nigris exceptis.

Mandibulae. Directae, contiguae, sed basi non coalitae [2]), sat longae, parum crassae, subconicae; fuscescunt et nitescunt. De illarum unguibus, evidenter parvis, ut et de maxillis et labio, propter immundities, firmiter adhaerentes, quoque de palpis, diffractis, nil sat certe affirmare possum.

Sternum. Longum, triquetrum, antice latum, postice angulatum, glabrum, piceum, ad angulum striâ medianâ tenui, flavâ notatum.

Palpi. Pro maximâ parte perditi, tenues, picei.

Pedes. Posterioribus exceptis, fere toto deperditi; hi longi, modice fortes, brevi et tenui subpilosi, picei, et ut videtur, concolores absque annulis; horum tibiae, ad partem metatarsalem, inverse conice incrassatae. Unguiculi tarsales minuti, aegre observandi.

Abdomen. Theridiorum more globosum, dorso elevato, apice acuminato. Supra. Ex albo flavescens, basi et ad latera inferius nigrescit. Vittis s. fasciis tribus transversis, sat latis, nigris, parum regularibus, insignitur. Harum superior fere tota libera, sed partim secundae jungitur; haec et tertia oblique decurrentes cum

---

1) In genere distantia relativa contraria provenit. Tamen exceptiones dantur. Sic Thorell animadvertit: „in plerisque *Lathrodectis* oculi laterales longius quidem inter se distant, quam medii antici a mediis posticis, in nonnullis vero non longius" (*Ar. nonn. Nov. Holl.* infra citandae, p. 373).

2) *Lathrodectus scelio* Thor., secundum L. Kochium, haberet mandibulas „im ersten Drittheile mit einander verwachsen". Opinatur, illud pro genere, uti pro *Pholcis*, esse characteristicum. Sed in meis exemplaribus *L. curaçaviensis* Müll., in uno specimine *L. geometrici* C.K. et in nostro *L. geographico* hoc signum mihi non constitit. Quoque Koch, pro *L. scelio*, scripsit: „die Mandibeln an der Basis gewölbt; id pro *Lathrodectis* mihi cognitis aeque minus valet. Confer *Die Arachniden Australiens*, 6te Lieferung, S. 280.

laterum nigrore confluunt; praeterea de vittâ infimâ duae aliae parallelae versus apicem decurrunt, ad latera mamillarum in lineam tenuiorem desinentes. Sic earum decursu vario quasi in pluris «regiones», plus minusve irregulares, folium dorsale dividitur. — Infra. In medio ventris nigri, uti in *Lathrodectis* plurimis, macula magna flava, fere quadrangularis provenit, ad latera tantillum sinuosa, et superius utrinque in crus crateriforme transiens. Intra hanc maculam et mamillas fundum nigrum praeterea duobus punctis flavis ornatur.

Mamillae. Breves, fere aequales, inferioribus paulo crassioribus, e fusco nigricant.

Epigyne. In fundo foveae sinuosae transverse ovatae, brunneae, subelevatae, orificia receptaculorum seminis ut parva tubercula, arcu connecta, obscurioris coloris, distincte conspiciuntur.

Nec Hentz in *Spiders of the United States*, nec Keyserling in *Die Spinnen Amerikas*, nec Taczanowsky in *Les Aranéides de la Guyane Française*, de hocce *Lathrodecto*, quem novum, ac aeque rarum, quam pulchrum existumo, mentionem fecerunt.

N.B. Formam hanc *Surinamensem* novam valde esse characteristicam, nemo est qui negabit.

Idem valet de *L. geometrico* C.K., aeque essentiali.

Typicum habitum per exellentiam, — ut mihi post meas «Studiën», infra citatas, proprio visu [1]) patuit, — *L. tredecim-guttatus* offert.

Ut typus quartus quoque *L. mactans* (Fabr.) = *Curaçaviensis* Müll. (Keyserl., Thor.) considerari debet.

Quinto tandem *L. scelio* = *Hasseltii* Thor., Novae Hollandiae etsi jam minus distincte [2]) etiam adhuc inter veras species numerari posse videtur.

Ceterum, studio comparativo ac ulteriore exploratione, in conclusione meâ (partim Dugèsii vestigia sequens) multis annis prae-

---

1) Magnum et pulchrum deinde specimen ex Toscanâ (Italiâ) dono mihi dedit amicus L. de Kanter, med. mil. navalis.

2) Eadem haec species enim, ab origine, ipso Thorellio visa est differre a suo *L. Hasseltii*, et ipso L. Kochio ambarum figurae diversae depictae sunt. Praeterea Thorell illam „affinem" dicit *L. dotato* C.K.

teritis elocuta [1]), persistere debeo, postea quoque Thorellio verbis hisce amplexâ: «The independence of most of the hitherto described species is very problematical» (loc. infra citat.).

Magnae *Lathrodectorum* organisationis analogiae, imo homologiae, sese jungit major adhuc diversitas coloris et picturae, tam dorsalis quam ventralis (nunc solito pallidioris, tunc magis nigricantis, nunc partim, tunc tote obsoletae) in speciebus iisdem. Inde numerosae «species dubiae» ortae sunt et hinc synonymia vix extricanda.

Sic *L. argus* Sav., — *conglobatus* C.K., — *erebus* Sav. (Walck., E. Sim., Vins.), — *hispidus* C.K., — *intersector* Wlk., — *lugubris* Duf., — *malmignatus* Wlk., — *Menavodi* Vins., — *oculatus* Wlk. [2]), verosimiliter pro varietatibus patriae, aetatis et sexus *L. tredecimguttati* habendi sunt. — Itidem *L. dotatus* C.K., — *formidabilis* Wlk., — *lineatus* Hentz [3]), — *perfidus* et *variolus* Wlk., — *verecundus* Hentz [4]), — forsan etiam *zickzack* Karsch [5]), — formis intermediis *L. mactantis* adaequari debere videntur.

L. variegatus et *L. thoracicus* Nicolet (Gay, Chile), ut et *L. pallidus* Cambridge [6]) mihi hucusque incogniti sunt.

Praeter opera supra jam citata, hisce de araneis consului: Walckenaer, *Aptères*, I, p. 642, — Simon, *Arachnides de France*, V, p. 177, — L. Koch, *Arachniden Australiens*, 6te Lief. S. 276, — Vinson, *Aranéides de la Réunion*, etc., p. 119, — et imprimis Thorell, Araneae nonnullae Novae Hollandiae, in *Ofversigt a. K. Vetensk. Förhandl. Stockholm*, 1870, n°. 4, p. 369, — Spiders of New Caledonia, etc., in *Proceed. o. t. Zool. Soc. o London*, 1875,

---

1) Studiën over de z.g. Curaçaosche Oranje-spin, in *Tijdschr. v. Entomologie*, 1860, III, blz. 46. Tunc temporis in errorem versabar considerans hanc araneam ut varietatem *L. malmignati* (confer Thorellium).

2) His quoque nonnullis additur *L. venator* Sav., sed hic secundum Thorell ad genus *Lithyphantes* ducendus esset, uti quoque valeret, partim in genere *Phrurolithus*, pro sequentibus: *distinctus* Blackw., — *martius* Sav., — *ornatus* Luc.

3, 4 et 5) Sub *Theridium* notati.

6) Secundum E. Simon, *L. pallidus* verosimiliter similis esset *Metae* (*Lathrodecto*) *Schuchii*. Haec suâ vice mihi quoad dorsi picturam plus minus analoga videtur cum *L. geometrico* (Confer „Aran. exotic. q. coll. Neervoort van de Poll", infra citatas, p. 234).

p. 138, — *Remarks on Synonyms*, p. 508, — et *Studi s. Ragni Malesi*, etc., III, p. 177. — Confer etiam pauca quae scripsi de *L. curaçaviensi* et *geometrico*, in Araneae exoticae, quas collegit Neervoort van de Poll, in *Tijdschr. v. Entom.* XXX, 1887, blz. 233, 234.

EPEIROÏDAE.

6. Acrosoma (Plectana) macrocantha Walck. ♀.

(= *A. spinosum* C.K. [1]).

Individuum longitudinis totalis fere 14 mm., pulcherrime pictum et optime conservatum (plenum).

Spinae maximae posteriores nec flavae (Walck.) nec rubrae (C. Koch et Taczonowsky), sed aurantiacae, basi superius et ad latera.

Venter, regione genitali et mamillari exceptâ, magis viridescit quam, ut perhibetur, nigricat. De eo quoque autores obliti sunt notare series regulares plures punctorum impressorum nigrorum. Itidem non loquuntur de maxillis et sterno (nigris) superius flavo limbatis.

7. Argiope argentata Fabr. ♀.

Etsi quoque pulchrae picturae abdominalis, exemplar illud minus bene conservatum est, quum tres pedes deperditi sint; vetula videtur, epigynis conformatione aegre dignoscendâ.

De hac specie variabili confer *Tijdschr. v. Entomologie*, dl. XXX, blz. 236, ubi eam inter araneas, quas collegit Neervoort van de Poll, commemoravi.

Praecedenti exemplari van de Pollii, ex Arubâ, hoc Surinamense multo majus est. Dorso tuberculo mediano evidenter instructo. Tuberculis postabdominis lateralibus longioribus. Hujus pictura quoque quodammodo variat.

---

1) Confer Walckenaer, *Aptères*, II, p. 183; — C. Koch, *Arachniden*, III, S. 56; — Taczanowsky, *Horae Rossicae*, T. IX, p. 269. (Hentz, *Spiders of the United States*, ut solet, in ejus articulo de „Epeiris spinosis", nullius mihi fuit pro diagnosi valoris). — Ne, ob cognomen Kochii, confundas cum Walckenaerii *Plectana „spinosâ"*, tam conformatione quam magnitudine valde diversâ.

In hoc specimine quidem, sed non valde distincte, pro coxâ pedum paris I (cujus articuli sequentes desunt) carinam longitudinalem, de quâ vir cel. Bertkau mentionem fecit (*Verz. Brasilianischer Arachniden*, S. 93), observare licet.

8. **Epeira Messalina** n. sp. ♀.

(Pl. 6, fig. 1 et 2).

Longitudo	totalis	18	mm.
»	cephalothoracis. . .	8	»
»	abdominis	10	»
Latitudo	cephalothoracis . . .	7	»
»	abdominis	8	»

Pedes 1, 2 = 4, 3.

Exemplar unicum, optime conservatum.

Cephalothorax. Fronte truncato, antice attenuatus, in parte thoracicâ sed parum rotundatus et convexus, foveâ ordinariâ centrali profundâ, transversâ posterius, ad declivitatem posticam, impressionibus cephalicis valde superficialibus, longe albo-pilosus, ex flavo fuscescens.

Sternum. Triquetro-cordatum, antice insculptum, subconvexum, parce ex rubro pilosum, fuscum.

Oculi. Omnes, ad clypei humilis marginem, basi tuberculatâ, prominentes; laterales fere contingentes, horum anteriore multo majore; medii 4, hisce fere aequales, aream occupant, paulo latiorem antice quam postice, ab lateralibus longe distantem. Omnibus hyalinis, nigro-marginatis.

Mandibulae. Directae, fortes, longiores quam latiores, sed parum convexae, apice obscuriore angustatae, ibi subnitidae, modice luteo-pilosae, subfuscae; unguis validus et longus, ruber.

Maxillae. Sat latae, antice rotundatae, ut et labium; hoc multo latiore quam longiore; omnibus nigro-fuscis, pulchre et late albo-limbatis.

Palpi. Ordinarii, longi et sat crassi, nigro-pilosi et aculeati, distincte unguiculati, coloris cephalothoracis, articulo terminali nigricante.

Pedes. Longi et fortes, tibiis, praesertim in pare I et II, antice cylindrato-incrassatis, longe luteo-pilosi, sed longius aculeati, aculeis pluribus, inprimis in pedibus anterioribus, superius albis, ad basin nigris (uti apud *Hystrix* et alia Rodentia aculeata [1]); coloris cephalothoracis, femoribus autem infuscatis et supra bistriatis, infra pulchre, ex aurantiaco-rubro, longe et dense pilosis; non annulati, sed infra ad omnes articulos subcyanei.

Abdomen. Late subtriquetro-ovatum, absque vestigiis tuberculorum humeralium, dorso magis plano quam convexo, ad basin rotundatum, dense sed irregulariter, longe albo-hirsutum, ferrugineo-fuscum; pictura dorsi, — praeter vestigia, ipso lente vix distinguenda, singularum striarum lutearum, — constat antice prope basin ex singulis punctis confertis, in medio ex duabus maculis multo majoribus subquadrangularibus vel triquetris et pone has, versus apicem arcum constituentibus, ex quatuor aliis maculis ovato-rotundatis, minoribus; hisce omnibus ex luteo albescentibus.

Venter. In medio cum plagâ latâ, transverse subtriquetrâ, nigro-fuligineâ, ex aurantiaco-rubro zonatâ.

Mamillae. Ordinariae pro genere, breves et minus crassae, in plagâ nigricante, antice ex cyaneo fasciatâ, fuscae, itidem ad fusulorum basin ex cyaneo tinctae. Ad latus, utrinque, duobus punctis albidis ornantur.

Epigyne. E basi elevatiori, antice rotundatâ, postice quadrangulari, laete brunneâ, ad latus postice nigro bi-tuberculatâ (orificia receptaculorum seminis), surgit in medio scapus enormis, — longitudinis 5,5 mm., — mox retroflexus, cum ventre parallelus, sese usque ad, imo supra mamillas, extendens. Subnitidus est, transversim striatus, coloris griseo-lutei.

N.B. Cognomen «*Messalinae*» (Reginae antiquitatis libidinosissimae) hac pro *Epeirâ* propositum, ejus enormem epigynes scapum respicit. Tamen confiteor, hanc comparationem (ut in genere pro aliis araneis) impropriam esse, quia harum feminarum dicta appendix specialis nullomodo ut voluptatis organon (Vertebratorum clitoridi analo-

---

1) Dicti aculei bicolores (semi nigri et albi) in figuris perverse ut tote flavi depicti sunt.

gum) considerari debeat, ast quum certissime magis modestam ovipositoris functionem exerceat [1]).

Inter *Epeiras* tropicas nostrae speciei affines prae omnibus attendi debere suspicor ad *E. fuligineam* C. Koch, verosimiliter = *E. fuliginosae* Walck. et forsan (?) = *E. hispidae* C. Koch. (non Dol), secundum opinionem Taczanowskyi [2]). Haec quoque permagna *Epeira* illis itidem pro Americâ meridionali (Brasilia, Cayenne et Peru) notata est. Ejus femora infra rubro-hirsuta, ejusque epigyne solito valde longior, — quamvis Walckenaer et Taczanowsky de illâ taceant, — inter alia, mihi in initio dubium moverunt, an nostra aranea modo hujus esse «varietas»?

Comparatione vero factâ figurarum, quae de araneis citatis prostant, ut et de *E. bicolore* C. Koch, eo forsan ut *fuligineae* varietate habitâ [3]), earumque habitus, coloris et picturae diagnosium, sufficientes, ut mihi videtur, differentiae observari licuit ad formandam «speciem» novam Surinamensem.

Hanc equidem valde similarem *fuligineae* agnosco, sed ab illâ in sat multis diversam puto, ut ex figuris et descriptione nostris adjudicari potest.

Altera *Epeirae* exoticae species, quam etiam ut magnitudine, formâ, colore et inprimis epigynes scapi longitudine extraordinariâ analogam, sedulo cum nostrâ comparavi, est *E. producta* L. Koch (Thorell) Novae Hollandiae [4]). Licet feminae hujus descriptiones in pluribus signis conveniunt, in aliis, et iis specificis, tantas differentias observavi [5]), ut hanc quam certissime tote aliam speciem dicere audeam.

---

1) Confer „Verslag der Wintervergadering van 1886", in *Tijdschr. v. Entomologie*, deel XXIX, blz. c.

2) Confer Walckenaer, *Aptères*, II, p. 41, — C. Koch, *Die Arachniden*, B. V, S. 58, et B. XI, S. 71, — Taczanowsky, Aranéides d. l. Guyane Française, in *Horae Rossicae*, T. IX, p. 129, et Aranéides du Pérou central, ibidem, T. XIV p. 147.

3) C. Koch, libro citato. Figurae 374, 375 et 889.

4) L. Koch, *Arachniden Australiens*, 1ste Lief. S. 55, Tab. IV, fig. 5 et 6; — Thorell, *Studi* etc. III, p. 90.

5) Ex gr. cephalothorax cyaneo-niger, postice seriatim granulosus; — abdomen basi cum tuberculis humeralibus, apice cum cono obtuso; — pedes minus longi et magis aculeati; — pictura folii dorsalis totidem diversa; etc.

Tertio, Keyserlingii *E. transmarina*, ex New South Wales [1]), in comparationem venit, inprimis propter epigynes constructionem maximopere cum hac in nostrâ convenientem. In ejus descriptione revera multi characteres sunt similares, plures autem cum hisce in nostrâ non quadrant, uti ex toto hujus araneae habitu ac dorsi picturâ cuique abunde patebit.

Quarto tandem, cognomine seductus, quoque *E. rufofemoratam* E. Simon [2]) diagnosi differentiali submisi. Hujus araneae vero, — longitudinis minoris et picturae diversae, — epigynes conformatio tantopere aliena mihi visa fuit, ut statim eam a nostrâ distinctam existumare potuerim.

9. **Epeira musiva** n. sp. ♀.

(Pl. 5, fig. 5, 6, 7).

Longitudo	totalis	20	mm.
»	cephalothoracis. . .	8	»
»	abdominis	12	»
Latitudo	cephalothoracis. . .	5,5	»
»	abdominis	8	»

Pedes 1 = 4, 2, 3.

Exemplar bene conservatum, etsi abdominis pictura in alcohole tantillum palluit [3]).

Cephalothorax. Subconvexus, relative parvus, capite valde distincto, ibi attenuatus, fronte, in medio proclivi, subtruncato, clypeo humillimo, parte thoracicâ, sed modice ad latitudinem rotundatâ, altiore quam pars cephalica, hac paulo declivi, fovea mediana parum profunda, impressionibus cephalicis aegre visibilibus; modice albo-pilosus, coloris castaneo-fusci, hic illic subflavescentis.

1) Beiträge zur Kenntniss der Orbitelae, in *Verh. d. K.K. Zool. bot. Gesellsch. in Wien*, 1865, S. 16, Tab. XVIII, fig. 15 et 16.

2) Arachnides de Birmanie, in *Extr. d. Ann. d. Mus. Civ. d. Stor. Nat. d. Genova*, 1884, Vol. XX, p. 24. Species haecce Thorellio synonyma habetur cum *E hispida* Dol.; confer illius opus novissimum: *Primo saggio sui Ragni Birmani*, Genova, 1887, p. 179.

3) In figurâ nostrâ, haec quantum posset et licebat, restituta fuit et distinctius expressa.

Sternum. Sed paulo longius quam latius, triquetrum, parce pilosum, fuscum.

Oculi. Minus magni, in tuberculis antice eminentibus positi, inprimis mediani; laterales solito minus contigui, horum anteriore majore; medianis 4 in subquadrato ordinario, horum posticis majoribus, hisce sibi aliquantulum proximioribus quam medii antici.

Mandibulae. Basi convexae, directae, multo longiores quam latiores, subcylindratae, versus apicem perparum conicae, subnitidae, glabrae, parte interiore parce pilosae; coloris rubro-fusci; unguibus validis, ordinariis, rubris.

Maxillae, cum labio, pro genere ordinariae, anterius luteo-limbatae.

Palpi. Elongati, sed non tenues, parte femorali infra ad latitudinem compressâ, aculeato-pilosi, uniunguiculati, apice subnigricante, fuscescentes.

Pedes. (Duo anteriores dextri deficiunt). Longi et fortes, tibiis I, II et IV postice conice inflatis, minus longe, sed sat dense nigro- et, subtus hic illic, albo-pilosi, parce et breviter nigro-aculeati; unicolores, non annulati, supra coloris cephalothoracis, infra laetius fuscescentes, tibiis parium dictorum, metatarsis tarsisque partim, piceo-nigris. Tarsorum unguiculi parum conspicui.

Abdomen. Oblongo-ovatum, subtriquetrum, basi, sine humeris tuberculatis, globosum, apice obtusum, hoc in conum brevem et latum, alte supra mamillas eminentem productâ; parce, sed ad basin dense albo-pilosum; color fundamentalis (alcohole pallescens) luteus, toto dorso, — praeter sex puncta impressa, rubro-flava in medio, — et lateribus (ibi minus distincte), partim seriatim, partim magis irregulariter, maculis ornato parvis sed multiplicibus, subrotundatis, plus minusve contiguis, magnitudinis diversae, laetius coloratis, plerumque annulo nigro circumdatis.

Venter. Coloris fundamentalis quoque laetioris, sed in medio, fere inter rimam genitalem et mamillas, cum plagâ oblongo-quadratâ nigricante albo-pilosâ, ad latera subflavo-limbatâ.

Mamillae. Longiores ceterum ordinariae, sed insolite inferiores, rubescunt.

Epigyne. In medio rimae genitalis et inter plagas pulmonales nigro-fuscas, sese elevat, supra basin albescentem, semilunarem, — hac subtus et antice exiguis tuberculis duobus nigris (orificia bursarum seminalium) instructâ, — scapus retroflexus, coloris albi, conformationis solitae, sed tam minimus, quam rarissime observari licet in *Epeiris* majoribus. — Comparatione cum scapo « giganteo » *E. Messalinae*, haec epigyne revera « nana » et tota aranea « decentissima » dici posset.

N.B. Cognomen *musiva* (« mozaïek-aardig ») huic araneae dedi, ob ejus abdominis picturam valde singularem. Talem in nullo opere pro *Epeirâ* [1]) descriptam nec figuratam vidi.

HETEROPODOÏDAE.

10. Sparassus cayanus Tacz. ♀ (?).

Longitudo	totalis	12	mm.
»	cephalothoracis. . . . . (sine mandibulis)	5,5	»
»	abdominis . . . . . (sine mamillis)	6,5	»
»	mandibularum	2	»
Latitudo	cephalothoracis maxima . .	5	»
»	abdominis maxima.	4,5	»
Longitudo	par. ped. II	22,5	»

Ejus descriptio Taczanowskyi [2]) magis cum exemplari nostro convenit quam haec Keyserlingii [3]), ejusque epigynes figura interius non tam regulariter circumscriptam imaginem exhibet.

Cephalothoracis singulae lineae minutae brunneae perparum distinctae.

Oculi anteriores omnes (non solum mediani) posterioribus majores.

---

1) Pro suis „Théridionides" cel. Eugène Simon, sub nomine *Theridion musivum*, analogam, sed coloris diversi, dorsi abdominalis picturam descripsit, in *Arachnides de France*, T. V, p. 111.

2) *Horae Rossicae*, T. IX, p. 79.

3) *Spinnen Amerika's* (Laterigradae), S. 242.

Pars abdominis apicalis, solito tenuior, cum mamillis conice eminet.

11. **Sparassus funestus** Keys. ♀ (?).

an varietas ?

Relative parvum exemplar.

Longitudo	totalis	16	mm.
»	cephalothoracis . . . . . (sine mandibulis)	7	»
»	abdominis . . . . . (sine mamillis)	9	»
»	mandibularum fere . .	3	»
Latitudo	cephalothoracis maxima	6,5	»
»	abdominis maxima . . .	7	»
Longitudo	par. ped. II	24,5	»

In multis cum Keyserlingii descriptione et optime cum ejus epigynes figurâ [1]) conveniens, tamen magnum dubium mihi mansit propter pedum longitudinis differentiam, qua de re inprimis dubitavi inter speciem dictam et *Sp. ferrugineum* C.K., cui itidem nostra mihi analoga videtur. Hujus vero genitale toto coelo differt [2]).

In nostro specimine mandibulae nigrae nitent, labium ad basin nigro-fuscescit, venter absque «dunkleren Längsbande», vero cum lateribus e nigro-fusco punctatus, pedum femora omnia, inprimis subtus, itidem dense fusco-punctata [3]).

N.B. De ambabus hisce Heteropodoïdis parum certus sum. In genere harum Familiae studium mihi valde difficile videtur. Non solum de Familiae nomine et subfamiliis disputaverunt auctores, sed etiam pro pluribus «generibus», forsan nimiis, nomina universe accepta nondem existunt. Multorum porro characteres aut

---

1) Opere citato, S. 249, fig. 135.

2) Ibidem, fig. 140.

3) Ideo comparavi cum *Olios punctipes* E.S. (Arachnides de Birmanie, in *Extr. d. Ann. d. Mus. Civ. d. Stor. Nat. d. Genova*, Vol. XX (1884), sed inter alia in hocce solum femora „antica" sunt punctata; oculi antici mediani itidem sunt „visiblement plus gros que les latéraux", quod non pro specimine nostro valet.

sunt solito magis affines, aut solito minus specifici. Ultimo tempore Simon conatus est, lucem majorem in tenebris afferre [1]). Tabulam analyticam elaboravit pro non minus quam 33 generibus.

12. **Heteropoda venatoria** Linn. ♂ et ♀.

= *Ocypete* (*Olios*) *setulosa* C.K. (Tacz.) saltem pro mare [2]).

Specimina magna, bene conservata.

Femina mihi convenire videtur cum var. *foveolatá* Thorellii, tam tuberculo vulvae bipartito, quam ventris lineis longitudinalibus quatuor.

LYCOSOÏDAE.

13. **Lycosa (Tarentula) laeta** L. Koch (Thor.) ♀ (?).

(Pl. 5, fig. 8. Epigyne).

Unicum exemplar, parum abrasum, sed uno pedum anteriorum deficiente.

Longitudo	totalis	14	mm.
»	cephalothoracis.	7	»
»	abdominis	7	»
»	mandibularum.	2,3	»
»	pedum paris IV. . . .	2,5	»
Latitudo	maxima cephalothoracis	5,5	»
»	» abdominis. . . .	4	»

Propter clypei faciem antice triquetram, oculorum dispositionem, cephalothoracis conformationem ac picturam, ventrem nigrum, etc. ad *Tarentulas* referri potest.

Strenue seduloque, inter *Lycosas* et *Tarentulas* Americanas Walckenaerii, C. Kochii, Taczanowskyi, Keyserlingii et Bertkaui (locis infra pro *Cteno* citatis), comparavi araneam nostram cum

---

1) Confer ejus „Révision de la Famille des Sparassidae", in *Extrait des Actes de la Société Linnéenne de Bordeaux*, 1880.

2) De ceteris synonymiis multis confer Graf E. Keyserling, *Die Spinnen Amerika's* (Laterigradae), S. 337, et Thorell, *Studi* etc., I, p. 144, II, p. 191 et III, p. 274.

multis illorum speciebus [1]), sed harum nulla sufficienter convenire videbatur. Tunc, licet invitâ Minervâ, consului Lycosarum cohortem ex Novâ Hollândiâ, L. Kochio descriptarum [2]). Per analogiam coloris fundamentalis solito vividioris, junctam ejus signis characteristicis: «die vorderste Augenreihe höchstens so breit als die zweite», et «Abdomen unten mit einem grösseren, schwarzen Felde, oder unten ganz schwarz», statim attentionem meam trahebant ejus *L. leucophaea*, *senilis* et *laeta*. Dein in magno Thorellii opere inveni, sub *Tarentula*, ultimae, quoque ex Novâ Hollandiâ, diagnosin [3]), quae, magis adhuc quam illa Kochii, me tandem persuasit de magnâ similitudine illorum speciei Australiensis et Papuanae «*laeta*» cum individuo nostro Surinamensi. Ratione habitâ hujus originis valde diversae, ut et nonnullorum characterum differentiae, necessarias duxi annotationes sequentes.

Cephalothorax. In Kochii et meâ araneâ «gelb-braun», in his Thorellii «nigro-fusci» coloris. Ejus fascia mediana in Kochii et meâ «eingeschnürt», Thorellio «non constricta» dicitur. Ejus «braune Strichelchen» (2 Koch magis superius, 4 mihi magis inferius) non notantur Thorellio. Ejus «schwarzer Streifen zwischen Kopf und Brust» (Koch) in exemplaribus Thorellii et meo desideratur.

Oculi. Sat convenire videntur. Illorum distantia vero, in serie secundâ, nobis dimidio major est (i. e. pro diametro), quam in *laetâ* Kochii: «die Augen der zweiten Reihe nicht in ihrem Halbmesser von einander» (?).

Mandibulae, maxillae et labium. «Partes oris» Thorellio «nigrae» dictae, in Kochii meoque specimine, pro primis «schwarzbraun», pro secundis et tertio «röthlich» nominandae. — Mandibulorum indumentum, e contra, «schwarz» (Koch), in meo convenit cum Thorellii observatione: «ad basin dense cinerascenti-pubescens».

---

1) Inter alias inprimis *L. raptoria* Walck, *T poliostoma* C. K., *L. cayennensis* Tacz., *T. pugnatrix* Keys, *T. Volxemii* Btk. notandae.

2) *Die Arachniden Australiens*, XXI. Lieferung, S. 944.

3) *Studi sui Ragni Malesi e Papuani*, III, p. 382.

Pedes. Coloris fundamentalis qualificatio ut «bräunlich-gelb» et «gelblich-weissbehaart» unanimo gaudet consensu, non ita haec femorum, Kochio data: «Oben zwei undeutliche schwärzliche Flecken, an der Hinterseite ein schwärzlicher Längsstreifen». Extremitates in nostrâ araneâ totidem conveniunt cum hisce Thorellii indiciis: «Palpi et pedes, — coxis» (subter nigro-piceis, de quibus Koch tacet!) «exceptis, — pallidiores vel subtestaceo-fusci sunt, apice» (nobis inprimis ad duo paria anteriora) «paullo infuscati, femoribus subter paullo clarioribus, praeterea plane immaculati, pube appressâ cinerascenti-fuscâ tecti (breve mihi) nigro-pilosi et «(longe mihi) aculeati» (ad tibias et metatarsos paris III et IV aculeis densioribus mihi). — Unguiculi tarsales 5 (?) dentati, inprimis accessorius, parvi, parum incurvati et valde absconditi (mihi).

Abdomen. Pictura, in exemplaribus Kochii et Thorellii jam non plane eadem, in nostro magis adhuc variat. Pro hacce medium tenet inter illorum descriptiones, hisce cum differentiis: Figura basidorsalis «subtriangularis» (Th.), «zackenbildend» (L.K.), multo minus lineatim circumscripta est, saltem huic *T. fabrilis* Cl. minus aequalis. — Praeter «vestigia linearum transversarum» inferius, et praeter «vestigia punctorum alborum versus latera» (Th.), latera non solum «dorso pallidiora» (Th.), sed simul nigro-punctata sunt. — Quoad «der grösserer, gelblichweiss behaarter Flecken über den Spinnwarzen» (L.K.) haec nec mihi nec Thorellio confirmatur. Ibi, ambobus, mentio non fit de plagâ anali nigricante in nostro specimine proveniente. Pro hujus ventris nigrore addendum, hunc Thorellii altero exemplo respondere, scilicet: «totum ventrem a petiolo usque ad mamillas occupat».

Mamillae. In nostrâ araneâ sordide-luteae, breves et longitudinis subaequales sunt, inferioribus duplo crassioribus et nigro-pilosis.

Epigyne. Laete rubro-fusca in omnibus araneis citatis. Descriptio ejus Thorellii magis nostrae figurae accedit, quam huic Kochii, etsi cum ambabus sat analoga sit.

N.B. Sin ulterius pateret, *Tarentulam* nostram (ut et forsan hanc Thorellii) nimis differre a *laetâ* typicâ Kochii, pro illâ unum

alterumve sequentium cognominum proponere vellem, scil. *T. concoloripes* vel *T. immaculipes*. Id eo magis, quum studium comparativum Lycosoidarum analogarum aut affinium me docuit, illas fere omnes plus minusve pedibus partim nigro-maculatis, striatis, imo annulatis instructas esse.

CTENUS Walck.

[« Ctenides », unicâ ut affirmatur specie Europaea, eâque adhuc apocryphâ [1]) exceptâ, evidenter regionibus tropicis addictae sunt. Quamvis ab origine fere exclusive ut Americae incolae cognitae fuerint, posthac illas quoque in Africâ, Asiâ et Australiâ provenire, abunde innotuit.]

Hujus generis typici unicum adest exemplar femininum, pedibus mutilatis et abdomine partim abraso.

Sicut *Ctenus hybernalis* Hentz illius habitus generalis est Lycosoïdeus, aut quoque, abdominis ratione habitâ, Dolomedinus dici potest.

Apud multos, quos consului auctores [2]), equidem plures cognovi species, nostrae, in multis, subsimilares vel analogas, e. g. *Ctenus Janeirus* et alii Walckenaer, *Ctenus bimaculatus* Taczanowsky, *Ctenus spinosissimus* Karsch, *Ctenus torvus* Pavesi, *Caloctenus major* Keyserling, *Caloctenus variegatus* Bertkau, et inprimis *Microctenus adustus*

---

1) „One may doubt, whether *Ct. Oudinotii* be really a *Ctenus*" (Thorell, *On Europ. Spiders*, p. 195).

2) Confer Walckenaer, *Aptères*, I, p. 363; — C. Koch, *Die Arachniden*, Band XV, S. 58; — Hentz, *Spiders o. t. United States*, p. 34; — L. Koch, *Arachniden Australiens*, XXII. Lief., S. 986; — Taczanowsky, Araneides d. l. Guyane Française, in *Horae Rossicae*, T. X, p. 90; — Keyserling, Amerikanische Spinnenarten, in *Verh. d. K.K. Zool. bot. Gesells. in Wien*, Band XXVI, S. 680, et ibidem, Neue Spinnen aus Amerika, Band XXIX, S. 337 et XXX, S. 575; — Bertkau, *Brasilianische Arachniden*, S. 55 et 114; — Thorell, *Studi* etc. III, p. 386; — Simon, Arachnides du Congo, in *Bulletin Soc. Zool. de France*, I, p. 223; — Idem, Arachnides de Birmanie, in *Ann. d. Mus. Civ. d. Stor. Nat. d. Genova*, Vol. XX, 1884, p. 355; — Karsch, West-Afrikanische Arachniden, in Giebel's *Zeits.* 3 F., Band IV, S. 344; — Pavesi, *Studi di Aracnidi Africani*, III, p. 74; — Mihi, sub articulo „Araneae", in *Verslagen der Sumatra-expeditie van het Aardrijkskundig Genootschap*, 1877—1879 (Leiden, bij Brill), et Araneae exoticae ex Curaçao de Neervoort van de Poll, in *Tijdschr. v. Entomologie*, deel XXX blz. 241. — Blackwallii, Gerstaeckeri (Pavesio citatorum) contributiones, ut et forsan aliorum, mihi, eheu! non ad manus fuerunt.

Keyserling, ex «Süd Amerika, Neu Grenada [1]), — sed harum nulla, in toto, sufficienter comparationi respondebat. Ad genus, L. Kochio *Leptoctenus* dictum adhuc maxime accedere mihi videtur, sequentibus characteribus: «*Augen in drei Reihen. Zwei Tarsal-Klauen, cum dentibus quinque pectinatim ordinatis. Lippe halb so lang als die Maxillen. Maxillen gegen die Basis stark verschmälert*» [2]). — In hocce nostrum specimen autem non sufficienter convenit cum speciebus mihi cognitis, *agalenoïdes* L. Koch, *agroecoïdes* Thorell, *denticulatus* E. Simon (hisce tribus plus quam dimidio nostro minoribus) et *valvularis* mihi ex Sumatrâ.

Idcirco praetuli illud, pro viribus, ut speciem describere novam, et quidem, in honorem nostri peregrinatoris aestumatissimi, — Dr. H. ten Kate, — sub sequente cognomine.

14. **Leptoctenus ten Katei** sp. n. ♀.

Longitudo	totalis, absque mandibulis . .	17,5	mm.
»	cephalothoracis.	7	»
»	mandibularum	1,5	»
»	abdominis	10,5	»
Latitudo	cephalothoracis maxima	5	»
»	abdominis maxima.	6	»
Longitudo	pedum paris IV.	24	»

Cephalothorax. Parum pilosus, sed non glaber vel nitidus, oblongo-ovatus, dorso ephippiiformi, antice angustatus, fronte truncato, pilosiore, clypeo sed tantillum obliquante, vertice non elevato, imo plano, capite minus alto quam thorax in medio postice, hocce ibi, loco sulci mediani, altissimo et inde abrupte declivi, sulcis cephalicis et mediano parum impressis, hoc, rubro-fusci coloris,

---

1) Hic vero (quoque femina) minor est („11 mm."); — cephalothorax „ist am höchsten zwischen den hintersten Augen und der Mittelritze"; — cephalothorax et abdomen sunt longitudinis aequalis; — abdomen ejusdem est coloris ac cephalothorax; — mamillae: „obere etwas länger als die unteren"; — tarsi sunt: „von eine spindelförmige Gestalt", etc. Ideo nostram araneam pro simplici varietate habere, non ausus sum.

2) Praeter hosce, L. Koch minorem valorem genericum Keyserlingii characteribus, pro relativâ mamillarum longitudine et pedum aculeorum numero diverso, attribuit.

valde tenui et parum longo. Sordide fuscus, in medio et prope, non ad, marginem flavescens, spatio interstitiali utrinque vittâ obscuriore, longitudinali, latiore, irregulariter et oblique striatâ et ad peripheriam externam parce nigro-maculatâ. Pictura haec, in toto, eam nonnullis *Tarentulis* propriam multopere adaequans.

Oculi. Coloris subsuccinei, characteristici pro genere (2, 4, 2); exceptis duobus posticis basi elevatâ nigrâ oblique impositis, sessiles; 2 anteriores mediocres, aeque a margine clypei quam a medianis, — iis duplo majoribus, — distantes; laterales seriei secundae (potius recta, quam antrorsum tantillum concava dicenda) omnium minores et planiores; postici omnium magis a sese distantes medianis sed parum minores. Mediani cum anterioribus quadratum fere perfectum constituunt.

Sternum. Planum, rotundatum, sordide fuscum, postice ad marginem lutescens, dense et sat longe nigro-pilosum.

Mandibulae. Coloris cephalothoracis, robustae, basi convexae, ceterum verticales et subconicae, parum divaricantes, supra longe nigro-pilosae, ad marginem internum dense luteo-barbatae; ungues rubri, longi et fortes, transverse directi, et ut videtur subtus glabri (non «gekerbt» Bertkau), sulco unguiculari distincte sed irregulariter rubro-dentato.

Maxillae. Ut et labium, coloris laetioris fusci, modice pilosae; labio duplo longiores, basi tenuiores, apice latiores et rotundatae, margine interno subexcavatae.

Labium. Parvum, fere aeque latum ac longum, inverse subtriquetrum, apice latiore.

Palpi. Sordide fusci, pilosi et longe aculeati, sat longi, articulo terminali distincte uni-unguiculati, basali tenuiore et planiore extus incurvato.

Pedes. (Horum paria II anteriora, femoribus exceptis, deperdita sunt; ideo de illorum longitudine relativâ non constat). Longi et modice fortes; ex flavo fuscescunt, femoribus supra irregulariter maculis flammeis, non annulis, obscuratis seu s. d. infumatis; modice nigro-pilosi et inprimis ad tibias et magis adhuc ad metatarsos longe aculeati. Metatarsi paris IV longitudo huic suae tibiae

aequat [1]). Tarsi cylindrati (non « fusiformes Keyserling »), cum duobus unguiculis nigris modice curvis, sed fortibus, pulchre 5-dentatis, dentibus posterioribus successive minoribus.

Abdomen. (Ut videtur pro parte abrasum). Oblongo-ovatum, crassum, dorso et lateribus, ut in araneâ plenâ, rotundatis. Ex olivaceo-griseum, irregulariter et minus distincte nigro maculatum, basi exceptâ, longe nigro-pilosâ, parum hirsutum; picturae vestigia dubiae adsunt, sic prope basin, in medio figurae hastatae obscurioris, ad latera limbi lutescentis, in dorso utrinque series 4 macularum parvarum albescentium, quarum anticae rotundatae, posticae, longe supra apicem, paullo majores, subtriquetrae (non « reniformes Taczanowsky » [2]). Ventre, paulisper laetiore, inde a rimâ genitali ad mamillas usque, utrinque, sed minus distincte, tenuiter ex luteo bilineato, lineis hisce (sub lente forti) minutissime flavo-punctatis.

Mamillae. Sex, ad breviores ducendae, paulisper divaricantes, longitudinis aequalis, exceptis mediis brevioribus et minimis; superiores cylindratae, inferiores obtuse conicae, hisce illis duplo crassioribus, omnes coloris lutei, quatuor majoribus ad latera nigro-infuscatis.

Epigyne. Occulta (nondum tote evoluta ?). Non nisi sub microscopio, sed adhuc non distincte, in medio rimae genitalis, inter duo spiracula transversa, duae fossae valde minutae, subcontiguae, fuscae, craterae- seu annuli-formes [3]) adesse videntur.

N.B. Ratio cur nostram araneam non sub « Familiâ » Ctenoïdae Keyserling, descripserim, in eo sita est, quod causam non video, eam a Lycosoïdis separandi. Ad has enim, usque ad annum 1877, genus *Ctenus* Walck., inclusâ *Phoneutriâ* Perty, tam propter ejus habitum naturalem (Lycosi- aut quoque Dolomedi-formem) [4]),

1) Hoc signo, inter alia, secundum Karsch (l. c.), *Ctenus* differret a *Phoneutriâ*, cum metatarsis tibiâ longioribus.

2) „Grande tache réniforme d'un fauve blanchâtre, située de chaque côté sur la moitié postérieure de l'abdomen" Loc. cit., ad *Ctenum bimaculatum*, p. 92.

3) Confer, pro *Microcteno adusto* Keys., loco cit., Band XXVI, Taf. VIII, fig. 57, ejus epigynem plus minusve similarem.

4) De formis majoribus (*Phoneutriae* ut suspicor) Simon autem statuit: „Leur forme semble, au premier abord, les confondre avec les *Olios*" (*Hist. Nat. d. Araignées*, p. 379). Compara hujus generis figuras C. Kochio datas.

quam ob ejus vivendi modum, omnium consensu ducebatur, et nunc temporis adhuc, pluribus araneologis ducitur. Idque minus mirandum, quum Ctenoïdarum character, prae aliis habitus essentialis, ab origine Keyserlingio indicatus, scil. absentia unguiculi tarsalis tertii vel accessorii, posthac pro diversis generibus relinqui debere, illo ipso atque aliis patuit. L. Koch quidem hanc difficultatem tollere voluit, dividendo, in suâ tabulâ analyticâ, Ctenoïdarum genera in bi- et tri-unguiculata. Thorellio vero haec solutio minus placuit ac Ctenides Lycosoïdarum Familiae adscribere persistit. Etiam Bertkau novam hanc Familiam recusat. Sed hujus solummodo genera tri-unguiculata ad Lycosoïdas refert, et cetera bi-unguiculata, potius Drassoïdis adnumerat! Nonne hacce divisione difficultas systhematica adhuc augetur?

Quidquid sit, hasce araneas verosimiliter omnes ad Citigradas pertinere, captu difficillimas, mihi ex eâ observatione suspicari posse videtur; quod, ut et mea experientia docuit, plurima exemplaria descripta, inprimis quoad abdominis picturam, plus minusve abrasa fuerunt, pedibus, aculeisque saepius mutilatis aut deperditis. Inde hic specierum differentialis diagnosis solito difficilior, eo magis quum generum assumtorum characteres partim minorem evidentiam, partim solito majorem analogiam offerunt.

Pro me dubitarem, anne omnia genera Keyserlingii, L. Kochii et Bertkaui jam jure sufficiente, — i. e. pro utroque sexu et pro individuis pluribus aut variae aetatis, — confirmata sint? Sin sat longa illorum series [1]) conservari debeat, tamen « Ctenoïdarum » revisio haud inepta mihi videretur. Karschii ad exemplum (loc. supra cit.) tunc, melius quam nuncdum, inter *Ctenum* Walck., et *Phoneutriam* Perty distinguendum erit. Horum synonymiam, nonnullis acceptam, relinquendam esse, genus *Ctenum* ut typicum conservandum, et cetera, uti sub-genera, simplificanda esse, censerem.

---

1) Respice *Acanthoctenus* Keys., — *Ancylometes* Bertk., — *Argoctenus* L. Koch, — *Caloctenus* Keys., — *Cycloctenus* L.K., — *Isoctenus* Bertk., — *Leptoctenus* L.K., — *Microctenus* Keys., — *Platyctenus* Keys. (= *Senoculus* Tacz.), — *Pycnoctenus* L.K., — *Stenoctenus* Keys. etc.

ATTOÏDAE.

15. Attus Branickii Tacz. ♂.

Totus pallide ochraceus. Cur non hoc nomine insignitus? Ad formam *Euophrys* ducendus, sin hujus mandibulae crassiores, mamillae breviores, pedumque relatio (4, 3, 1, 2) alia, a nostro non nimis differebant.

Ex omni fere parte, inprimis quoad pulchram plagam cephalico-ocularem, solito magis, typicae descriptioni [1]) respondet, exceptis mandibulis, quae minus « breves » sunt. Quoque in picturâ abdominis (nobis ex albido, hic illic subargenteo, flavescente) paulisper abrasâ, desunt « les quelques petits points noirs sur les raies foncées », hisce ipsis itidem difficillime distinguendis.

Diagnosi ceteroquin sequentia signa adjungo, de quibus auctor tacet.

Maxillae, ut et labium, hoc minus distincte, antice nigro-limbatae sunt.

Pedum tibiae, ad II paria anteriora, metatarsis fere triplo sunt crassiores, hisce nigro-bi-spinosis.

Mamillae longae et tenues, fere aequales, superioribus, tantillum divaricantibus, paulisper longioribus, inferioribus paulo crassioribus.

Epigyne. Minutissima. Ipso sub microscopio nil nisi prope rimam genitalem duas parvas foveas annuliformes, fuscas, contiguas discernere licet.

An nondum matura? Femina typica pro 10 mm. notatur; nostra 9 mm. mensurat.

16. Attus Croesus n. sp. ♀.

(Pl. 6, fig. 3 et 4).

Longitudo	totalis	14	mm.
»	cephalothoracis . .	6	»
»	abdominis.	8	»
Latitudo	cephalothoracis . .	4	»
»	abdominis	3	»

Pedes 4, 1, 2, 3.

1) Les Aranéides de la Guyane Française, par Taczanowsky, in *Horae Soc. entom. Rossicae*, T. VIII, p. 94.

Exemplar magnum, perpulchrum et optime conservatum.

Strenue perscrutanti multos auctores [1]) mihi hanc *Atti* speciem apud illos invenire non contigit. Ad vestigium Taczanowskyi nomen generale « *Attus* » assumsi, cum in dubio sim de vero (sub-)genere. Inter haec plurime accedere *Marpessae* (s. *Marptusae* Thor.) suspicor. Propter splendorem ac colorum divitias, pro specie cognomen « *Croesi* » eligi, ut inter viros opulentissimos temporis acti celebrati.

Ut plus minusve picturâ (minus formâ et magnitudine) affines, sed quam certissime non similes, *Attus auratus* Tacz. (Guyana), *Attus iris* vel *chrysis* Walck. (Carolina et Georgia), *Salticus erraticus* Luc. (hic vero plus quam triplo minor), *Phidippus coloradensis* Thor. et forsan alii considerari possent.

Cephalothorax. Planus, oblongo-ovatus, sed antice truncatus et parum attenuatus, clypeo humillimo; pone oculos posticos transversim impressus, multo longior quam latior, nitidus et glaber, exceptis parte frontali et inprimis oculorum lateribus nigro-pilosis (horum pilorum nonnullis subincurvatis seu « cornutis » [2]), nigricans, sed vario modo metallice micans (iridescens), ut et in margine ex viridi-aeneo tenui zonato, in medio thoracis figurâ irregulari, miniaceo-rubrâ, partim etiam splendente, ornatus.

Oculi. Mediani antici, permagni et convexi, non contigui; eorum distantia aequat hanc inter illos et oculos laterales anticos; hi plus quam triplo minores et valde retrogradi; oculi secundae seriei parvissimi, vix longius a lateralibus posticis quam anticis remoti, sed tantillum a lineâ rectâ introrsum devii; oculi postici

---

1) Praeter opera C. Kochii, L. Kochii, Doleschallii, Lucasii, Vinsonii, Thorellii, Simonii, Pavesii, magis universalia, ob patriam, speciatim studui: Walckenaer, *Aptères*, Attes Américaines, I, p. 432, — Hentz, *Spiders of the United States*, — Taczanowsky, Araign. d. l. Guyane Française, in *Horae Rossicae*, T. VIII, p. 51, — Keyserling, Neue Spinnen Amerika's, in *Verh. d. K.K. Zool. bot. Gesells.*, XXXIV. 1884, et ejusdam, Spinnen aus Uruguay, ibidem XXVII, 1878. — Thorell, *On Araneae of Colorado*, — Peckham (G. W. et S. G.), On some new genera and species of the Fam. Attidae, from Madagascar and central America, in *History Society of Wisconsin*, 1885, p. 23, — et ejusdem *Descriptions of new or little known Spiders of the Fam. Attidae of the United States* (separatum ex.?).

2) In Figurâ haec pilorum conditio, ut et cephalothoracis fulgor, aegre exprimi potuerunt.

lateralibus anticis perparum vel non minores, spatio majore inter se distantes, quam a margine cephalothoracis. Oculorum quadrangulus plus quam $\frac{1}{3}$ longitudinis cephalothoracis occupat. Oculi seriei anticae, inprimis mediani margaritacei, ceteri minus albescunt.

Sternum. Duplo longius quam latius, fere octogonum, glabrum, subnitidum, coloris flavi, cum margine luteo.

Mandibulae. Validissimae, cum ungui forti, nigro-rubro, paulo longiores quam latiores, subconicae, subconvexae, nitidae, antice ac margine interiore dense pilosae, nigrae.

Maxillae. Spatuliformes, basi tenuiore, labio ovato, antice truncato, duplo longiores, omnibus piceis, margine anteriore tenuiter flavo-limbatis.

Palpi. Ordinarii, sat longi et fortes, evidenter unguiculati, fere toti longe, ex albo [1]), plumoso-pilosi, flavescunt.

Pedes. Par I ceteris fortius et crassius, femoribus (ut et paulo minus in II) latis et subarcuatis, patellis et coxis ceteris solito longioribus, hisce sibi valde approximatis, tibiis quoque sat crassis, densius et longius nigro-pilosis, uti femora hic illic supra, cum metatarsis infra, spinoso-aculeatis; coxae, femora et tarsi fuscescunt, tibiae et metatarsi nigrescunt. Par II sequentibus quoque validius, I-mo multo minus pilosus et aculeatus et tote laetioris coloris. Paria III et IV tenuiora, sed breve pilosa et non nisi sparsim ad femora supra aculeata, cum II-do e luteo-flava, sed ad articulos (indistincte) infuscata. — Tarsi, in omnibus, cum pulvinare denso et nigerrimo, tri-unguiculati.

Abdomen. Valde oblongo-ovatum, cephalothorace longius, sed latitudinis minoris, modice et supra sparsim sed longe pilosum, laete miniaceo-rubrum, in medio dorsi latius, et ad latera tenuius, ad longitudinem tri-striatum, striis, in spiritu, ex viridi, in exemplare siccato, ex flavo aureo, micantibus. Inde alternant quinque vittae longitudinales, duae rubrae latiores, tres aureae tenuiores. Latera insuper sparsim et irregulariter nigro sunt punctata. Venter luteus, ac etiam squamulis metallicis, etsi minus micantibus,

---

1) In Figurâ hic color albus exprimi non potuit.

vestitus, cum plagâ medianâ, obconicâ, obscuriore et indistincte nigro-trilineatâ, postice in maculam parvam nigram praemamillarem desinente.

Mamillae. Minus crassae quam longae, superioribus aliquantulum longioribus, parallelae et contiguae, cylindratae, fuscescentes, nigro-pilosae.

Epigyne. Plaga magna, fere quadrangularis, flavescens, anterius et ad latera striis crassis nigris circumscripta, cum duabus foveis magnis corneis, oblongo-ovatis, profundis, fuscis, in fundo nigricantibus.

Laus eadem, quam van de Pollii collectioni dare potui, huic ten Katei aequo jure competit.

Itidem pro Museo nostro dilectissimo preciosa dici meretur.

Inter 16 [1]) suas aranearum species nempe, in Suriname collectas, praeter 4 perraras (n⁰. 3, 4, 13, 15), verosimiliter (?) non minus quam 6 novae (n⁰. 2, 5, 8, 9, 14, 16) mihi provenire videntur!

Idcirco, cum illustri suo Fautore, optime quoque de araneologiâ meruit.

---

1) Non 16 sed 26 tubi adfuerunt; in decem horum aut duplicata aut Formicas et Opilionides, pro me minoris momenti vel pretii, inveni, quae hîc commemorare mihi ineptum videbatur.

Explicatio tabularum.

(Delineatae manu artifici viri amici Dr. Ed. Everts).

Tabula 5.

Fig. 1. *Lathrodectus geographicus* n. sp. ♀.
2. » » (venter).
3. » » (latus).
4. » » (epigyne).
5. *Epeira musiva* n. sp. ♀.
6. » » (venter).
7. » » (abdominis conformatio a latere visa).
8. *Lycosa laeta* L.K. (epigyne).

Tabula 6.

Fig. 1. *Epeira Messalina* n. sp. ♀.
2. » » (subtus).
3. *Attus Croesus* n. sp. ♀.
4. » » (epigyne).